[Ep]istolae: ~~IOHANNI COCCEJO IOHANNES HOGERS~~.

Reverendo clarissimoque Viro Johanni Coccejo S. P. D. Johannes Hogers.

Accipe, Coccejj, multam praeclare salutem,
Coccejj Batavae gloria prima scholae.
[C]ujus ab ore (juvat, juvat o meminisse) pependi,
Et doctas voces saepius aure bibi.
Hoc summum nobis decus est, haec una voluptas,
Inter discipulos me numerare tuos.
At tibi quas tali solvam pro munere grates?
Praemia quaeve tuo digna labore feram?
Mens mihi prompta satis, nec iners pauperque voluntas,
Sed minimè nostrae sufficeret illud opis.
Haud opis id nostrae: verum, quod possumus unum,
Agnoscam laudes et celebrabo tuas.
Agnovisse Deo satis est; age, nobilis Heros,
Te magno dignum finge paremque Deo. — ùit te tretem.
Ergò prius deforme chaos terramque polumque
Miscebit, rerum semina bella gerent;
Phoebus in aeternam claudet sua lumina noctem,
Nec coelum stellas, nec vehet amnis aquas:
Quàm tua magna cadant nostro de pectore facta,
Virtutesque neget dicere lingua tuas.

[Cet]erò, ecce tibi, Vir praestantissime, librum quem [tra]nsmittendum petiisti. Utere illo pro jure tuo, ac pro [libi]tu fruere. Si quo alio officio tuis inservire queam [co]mmodis, nulla in me mora erit. Quid nunc agam, [qu]aeris? Pervestigandis Divinis oraculis, tum et

concio-

[redacted]

concionibus habendis iterum accingor; atq; in hisce
totus sum: expectans interim Domini imperiu
in quam me messem falcem mittere jubeat. Ille
Deus, in æternum benedictus, diu te cum Gong
sima tua familia salvum atq; incolumen a
nominis sui gloriam Ecclesiæq; salutem conse
Cl. Viris Heidano et Gronovio, plurimam meo n
mine salutem, si placet, imperti. Multum te
salvere meus jubet Frater. Vale, seculi no
decus, et nos, ut amas, ama. Daventriæ
a. d. VII. KAL. IVN. CIↃ IↃ CLXIII.

Aen mijn Heer,

Mijn Heer Johannes Coccejus, Pro-
fessor ter H. Theologie, wonen-
de op het Rapenburgh tot

port.   Leyden.

Hierbij een boeck.